

AN. 518. 9  
ELEGIA GRATULATORIA;

II, 441.

II g  
1042

*In Honorem,*

NOVÆ ACADEMIÆ

GIESSÆ CAT-  
TORUM;

*Donante atq; Confirmante*

RUDOLPHO II.

CÆSARE semper-augusto, &c.

*Fundante atq; exigente*

LUDOVICO

Hassia Landgravio, &c.

*Ad diem VII. IIXbr. Anni Christiani*

CIO IO CVII.

feliciter introductæ;

*Scripta*

VVITTEBERGÆ,

à

FRIDERICO BALDUINO

SS. Th. Doctore & Prof. publ.

*suo & Clarissimi Dn. Doctoris.*

LEONHARDI HÜTTERI

P P. nomine.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)

Typis Cratonianis per Johann. Gorman.

X 1863578

28



LEONIA GRATIA  
In Honorem  
NOVAE ACADEMIAE  
GIESSE CAT-

DOMINI  
RUDOLPHI

CAESARENSIS-ALBERTINI, &c.

VICTORIS

MAXIMILIANI, &c.

MAXIMILIANI, &c.

VICTORIS

Scripta

PETERCO BALDINO

SS. TH. DOCTOR & PR. ENCL.

LEONHARDI HARTER

P. P. NOMINE

...





*Adenus alternos melior Germania lessus  
 Fecit, & in lacrymas officiosa fuit:  
 Premisitq; suos Academica praefica fletus,  
 Inter honoratas ceu inhonoratus;  
 Dum nova protractis ex ordine funera tumbis  
 Intulit, & magnâ strage replevit humi.  
 Nostra vel in primis pullo **WITTEBERGA** thestro  
 Saepe ad portas, trux Libitina tuas  
 Adstitit, & toties iterata recensuit ictus  
 Vulnera; funeribus semisepulta suis.  
 Flevimus **HUNNIADEN**; successit **RUNGIUS**: isto  
 Vix benè adhuc tepido se solvènte solo,  
 Ecce! novos faciunt **GESNERI** funera manes,  
 Cumq; novis alias manibus inferias.  
 Sed nondum satis est: **MYLIUM** quoq; funerat, & sic  
 Invida continuas Parca facit lacrymas.  
 Non alios referam Demosthenas ac Avicennas,  
 Non proceres nostrae patritiosq; scholae;  
 Non quocunq; necis rapuit violentia; non quos  
 Nupera Doctores fama **FUISSE** refert.  
 Sufficit illa sacri celebris quadriga senatus,  
 Qua sincera fides vecta sub astra fuit.  
 Quam metuit Tibris, quam fovit & Ister & Albis,  
 Quam timuit streperi garrula lymphæ Nicri.  
 Hac olim gaudere datum: nunc flere relictum;  
 Et sperare alias, supplice mente, vices.  
 Hinc vicina suos passa est quoq; **LIPSIA** manes,  
 Vidit & alterno funera bina situ:  
 Funera **SCHILTERI**, **BECCERI** funera; quorum  
 Nomina cum meritis non obiere suis.  
 Sed vivent, vivent, memoriq; incisa cupresso,  
 Emula materies laudis & artis erunt.*



Nec satis: approperant clara sua fata TUBINGÆ,  
 Hic etiam cathedra facta lacuna sacra.  
 Eripitur vivis OSIANDER, at ille OSIANDER,  
 Qui quasi LUTHERI bibliotheca fuit:  
 Quem qui Theologum, quem qui Polyhistora dicat,  
 Dimidium laudis vix tetigisse puto.  
 Excipit hoc fatum schola VARNIA plena Rosarum,  
 Quæ sinus adjectos Balthicus ambit agros.  
 Hic nuper pietate gravis, venerandus & annis,  
 Clarus & ingenio, clarus & eloquio  
 SCHACHTIUS, extremum Cathedra vale dixit, & orbi,  
 Factus in egelidâ nenia sandapilâ;  
 Claudit hic annorum jacturam quattuor: ô se  
 Ultima lethalis pausa sit illa mali!  
 Siccine Vos, ô Vos, Academica turba, Sorores,  
 Glutine quas uno copulat una Fides;  
 Siccine continuis Academi pulpita vestri  
 Luctibus & fletu commaculare placet?  
 Hæcine sancta fides fuit? hicne sororius ardor?  
 Mutua certatim funera flere? fuit.  
 Frenduit interea Lupus infernalis, & isto  
 Ex luctu lusum deliciasq; petit.  
 Risit, & ô evax! evax! clamavit Iberus,  
 Addidit applausum gens Tiberina suum.  
 Nec desunt alij, quos huius acinace mortis  
 Nequitie nervos exacuisse juvat:  
 Qui fractis statuis, qui fracto pane, decemq;  
 Legibus, eximia pulpita clara scholæ  
 Effregere simul: quid si (licet omina nollem)  
 Fracturi, fractâ religionem, fidem?  
 Sed malè: namq; scholæ sacra sunt plantaria cali,  
 Quæ sacer æterno spiritus ore rigat.

Sevit

Sevit eò semen divina potentia, & omnes  
Numina divitias deposuere suas.  
Hic etiam statuit sua niceteria IESVS,  
Cum puer in victo vinceret ore viros.  
O malè te, quisquis sis, aut cuiatis! & ô va  
Sive matæologus, Philasophusve, tibi!  
Qui temeras tanta laudis viridantia tempe:  
Nam pupilla Dei jam temerata fuit.  
Devastare Dei plantaria, nullius artis:  
Ut nova substituas, grande laboris opus.  
Vidit, & experta est utriusq; pericula nuper  
Nobilis antiquis HASSIA stemmatibus.  
Floruit, & multis MARPURGUM floruit annis,  
Dum floreret honos, Christe Homo-dive, tuus.  
Hoc deflorato, defloruit ipsa vicissim:  
Subdola Calvinii fractio fregit eam.  
Quosq; ibi, ceu magnis duo tigna erepta ruinis,  
Præterijt crude mortis amarities,  
Hos quoq; Theologos sacris invidit ephebis  
Invidus Eumenidum Cingliadumq; furor.  
Sed, velut Eliæ, cum ingrata Samaria nollet,  
Accendit gratum parva Sarepta focum:  
Sic quos exclusit Marpurgum, GIESSA recepit,  
GIESSA Soli sedes, Dux LUDOVICE, tui.  
Hic nova jam surgunt Academica sceptræ, RUDOLPHO  
CÆSARE magnificum suppeditante decus.  
Hic Pietas, hic alma Treemis, Hygieia, Sophosq;  
Castra bonis avibus disposuere sua.  
Hic Citharam in tenui suspendit arundine Lanæ  
Phœbus, & hic video partem Heliconis, ait.  
Hic cum Pieris in choræ sacra ducit Oreas;  
Cernitur in primo virgo nativæ choro.

Salve, GIESSA, novo titulo aucta, ACADEMIA GIESSA,  
GIESSA probata homini, GIESSA probata Deo,  
Salve: Te salva pietas quoq; salva manebit,  
Te nutrice, tibi multus alumnus erit.  
Teq; salutabunt doctorum lumina matrem,  
Et te Patronam plebs studiosa colet.  
Subq; tuo platano LUTHERI dogma quiescet,  
Dogma, quod ex sacro flumine flumen habet.  
Nunquam doctores deerunt, tua pignora, semper  
Qui Te, quiq; Tuos devenerentur, erunt.  
Frende at interea calvum pecus, ilia ructet,  
Expediat vires, expediatq; dolos:  
GIESSA domus Domini longo clarabitur aeo,  
Inter & Eoas Hesperiasq; plagas.  
Sed Tu, Darmstadici LUDOVICE Dynasta Ducatus,  
Inclita Cattorum gemma, Smaragde Ducum:  
Qua fibra sit cordis, quae muta silentia rumpat,  
Possit ut in laudes lingua sat ire tuas?  
Quod si nulla tuarum extant praeconia laudum,  
GIESSA tibi pandas fecit ad illa fores.  
Namq; Scholas aperire bonas, nutrire docentes,  
Fundere pro cultu religionis opes,  
Et magnis animis hostiles temnere morsus,  
Crede mihi, virtus regia, digna cedro est.  
Et tua digna cedro pietas, & regia virtus  
Perpetuis fame didita crescet equis.  
Nam Tua GIESSA suos tibi semper nutrit alumnos,  
Qui poterunt dignum laude vetare mori.  
Te quoq; digna manent praeconia, DIVE RUDOLPHE,  
Cuius ab auspicio GIESSA, quod optat, habet.  
Hac quoq; virtutum laus non postrema tuarum est,  
Non modo Sauromatas vincere Martus ope;

Sed

Sed quoq; barbariem calami prosternere crenâ,  
Et dare doctrinâ publica jura sacra.  
Nâ, decus hoc magnum est, & magno Cesare dignum,  
Fama quod in serâ posteritate vehat.  
Det Tibi propterea, quidquid petis, Arbitræ vobis  
(Nâm Te, Dive, satis optima velle scio.)  
Vt Duce Te pereant, quicunq; potentia Christi  
Sceptra vel armorum vi, calamôve petunt.  
Nunc vos Giesseni fidissima corda Lycei  
Alloquor, extremo carminis articulo:  
Salvete, & vosmet tenera servate juventa:  
Vestra salus, doctâ pube valente, valet.  
Nempè Professores estis: estote, quod estis,  
Magno animo, studijs, integritate, fide.  
Floreat inter vos Concordia, floreat ardor  
Mutuus, & doctum cum pietate Sophos.  
Non vos, non vestros turbet strix calva labores;  
Non aliorum ira, Romulidumvè minæ.  
Floreat inprimis sincera professio CHRISTI,  
Qua sine nil hominum cura laborq; valent.  
Exulet impietas, quæ derogat invida CARNI,  
Quæ lóy & adsumt & dona superna dedit.  
Exulet impuræ Rationis glossa, faceffat  
In sacramentis stulta magistra Dei.  
Verùm hîc se virtus tua, VVINCKELMANNE, probabit,  
Et MENTZERE tui vivida vis animi.  
Vos etenim præclara novæ duo lumina GIESSÆ  
Suspicit, & meritò, gens operata Deo.  
Vos vigili studio Calvo Cacodemone natis  
Obvia, divinâ, tela feretis, ope.  
Quidquid & hereticâ sacra vestra uligine tinget,  
Vestra liquore Dei spongia tinctâ luet.

Vos

OX  
Ty  
1042


Vos sacramentis & Christo carnis honorem  
Adserere, & fures pellere scitis agris:  
Hoc agite, ac animis cataphracti state viritum,  
Adversusq; omnes vos animate minas.  
Sic poterit magna coalescere parte cicatrix,  
Quae tot mystarum morte superstes erat.  
Sicerit ad seros Academia vestra nepotes  
Hospitiumq; hominum, delitiumq; Dei.  
Sic quoq; Sincera dūce Religione, Sophorum  
Pulpitā promeritus quaeq; sequetur honor.  
Annuat optatis Deus, & pia vota secundet,  
Crescat & in laudes GIESSA, quod opto, suas.

VVITEBERGAE,  
a. d. 7. Octobr.  
1607.



1017  
M





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black